



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe
Condita Ad Reductam**

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

at dominia reliqua vel beneficia Saxonica vel allodia esse, illa dominis, hæc Schwarzenburgicis ex parte deberi, Blanckenhain Moguntinum quidem feudum sed foemininum filiaë ultimi Comitis, & hæredi adimi non posse. Urbs hæc, ejusque Cives frequentissima feuda à Comitibus illis hæreditaria jam antiquitus possedere, timuit illa, cum Saxones, & Schwarzenburgici allodia Comitum in feuda masculina vertissent, ne suis hoc beneficiis præjudicio esset. Senatus missis ad illos Nunciis declarationem impetrat, pacta ista non feudorum Erfurtensium utile, sed directum duntaxat Dominium affectura: ubi reliquæ lites sopitæ, alibi dicam.

XXXX.

Non abs re erit, priusquam ipsa Civitatis fata narrem, ruentis Reip. non tam morbos, illos enim ex erroribus prudens lector advertet, quam faciem, gubernationis modum, vires, studia recensere. Facta narrabo, non jura decidam. † Amplissima Urbs armis & pecuniâ Dominium suum latè per Thuringiam auxerat, † oppida, arces, Comitatus absoluta Civitatis Imperia suspexere, nullæ ruricolis libertates, nullæ Imperiorum leges. Moguntinus & Saxones, interdum his potestatibus oblocuti, sed ipsum Imperii Exercitium penes Senatum mansit. Huic † in Urbe non eadem auctoritas, sed multum per Electoris ministros humiliata. † Vicedominus, Prætor, Asses-

Senatus politicus Civitatis.

Potestas Senatûs in pagos.

In urbe v. a. Frictior. Imperiû Moguntinum.

Asses-

Affessores, Advocatus, Scabini jurisdictiones, magnum Reip. momentum ! ut plurimum exercebant, opificibus leges, tribulibus jura dabant, ipsa Imperii meritis, gladius, furcæ, lictores sub arbitrio Moguntino erant, cum nec sanguinis ferret sententiam Curia, nec poenam exqueretur, sed comperto Capitali negotio reus Prætori sistebatur. Per † sententiam in Civilibus gravatis refugium Elector: ad quem per appellationem lites devolvebantur, sicut tamen, ut prius deferre gravamina Senatui liceret, cui intra bimestre acta revidere, & emendare causam jus, fasque erat. Hoc jam olim ab Electoribus ob superioris judicii longinquitatem ordinatum, quo breviori compendio justitiam Cives obtinerent. Prætereà divites census, etiam vectigalia Electorali quæstori, ejusque publicanis, pendebantur. † Ecclesiastica potestas olim per Thuringiam, & Hassiam exercita, postea etiam in Erfurtensi territorio suspensa, nisi quod eos, qui Catholicæ Religionis devoti, regeret, titulo veteris dignitatis, Sigillifero, ac tribunali Ecclesiastico antiquâ pompâ manente. Senatus ex statutis ab intestato hæreditates † dividebat, & ordinabat commercia, dabat tutores, curabat ærarium, ac quod licentiam auxit, vis armorum, valla, vigiliæ, præsidia potestatis ! ad ejus Imperium erant. † Sacrorum curam Delegatis commiserat, ex ip-

*Appellatur
Moguntiam*

*Moguntini
potestas Ec-
clesiastica.*

*Potestas Se-
natûs in ur-
be.*

*Senatus po-
testas Ecclē-
siastica.*

sis Senatoribus, & Prædicantibus selectis. Alia utrimque exercita, plura invicem magna contentione prætenſa, & negata. Iſta Reip. poteſtas in omnem plebem effuſa erat, † viliffimis etiam, & qui ligonibus terram vertunt, in gravioribus negotiis votum prætendentibus, cumque in populari ſtatu plus ille poſſit, qui plus audeat, uſque ligonariis, ac quorum decocta penus, & multitudo ſua, & ex rebus turbidis lucri ſpes auſum adderet, magna horum fuit auctoritas, ut prudentiores alii, qui & advertere damna Civitatis, & comoda ſtabilire potuiſſent, ſervili aſſentatione ſæpius iſti multitudini vota quam Reip. darent. In Electione † Senatûs inſignis mixtura, ſic tamen, ut plebis poteſtas ubivis emineret. In feſto D. Thomæ congregati per Regiones ac tribus cives, Tribunos ſibi elegere, claſſes ſingulæ duos nominarunt, ſic ut computati quinquaginta duo eſſent. Hi in Divæ Barbaræ feſto Quatuor viros dixere, tres ex communitate, quartus ex Opificibus lectus. Circà Diem trium Regum novi Senatûs Electio inſtituta, ubi de jure votandi hæcenus, & poſteà vehemens contentio, quibus in quantum agitata Reſp. mox dicemus. Ex primis legibus Quatuor viri tribuleſve, ac Regionum magiſtri Senatûm eligebant, poſteà Conſules huic poteſtati ſe immiſcuerant, ipſique Quatuor viri, propenſiores in regiminis ſocios,

STATUM DEMOCRATICUM.

Electio Senatorum.

tribules excluderant. Actui Electionis Moguntinus Vicedominus, ac Prator in Curia intererat, quos Senatus spectatores tantum esse contendit, cum ipsi auctoritatem se tribuere dicerent, certè in iustitiam Electionis inquireret. Electione peractâ novus ille Senatus, Domino suo Electo ei Jurejurando se adstrinxit, veteri formulâ, quâ Vicedominus, & Advocatus ipsi Domino jungebantur, sed nec hoc sine contentione, quippe cum Vicedomini, ac Advocati Comitibus mentio fieret, Senatus, eorum Jura sibi jam competere asseruit, ast Moguntinus Prator suo Principi Electori vindicavit. Post Moguntinorum secessum officia inter Electos distributa: alii Jurisdictionibus pagorum, alii rei ædili, aut œconomicæ præpositi. Quatuorvirorum † tribunitia amplissima fuit potestas, reditus Civitatis, ærarium, Archivum, & Sigillum majus sub primi Quatuorviri custodiâ, perpetua intercedendi apud Senatum potestas, imò, & inhibendi, usque dum ad arbitrium populi detulisset. Ille Tribunos convocavit in Comitium, de actis Senatus consultavit, literas Reip. inscriptas aperuit. Secundus † Quatuorvir Præfecturas, securitatem arcium curabat, Sigillum minus habebat. Reliqui ædificia Urbis reparabant, contentiones, & rixas verbales discutebant. Apparet ex his, quammodicum potestatis Consulibus, & Senatui reliquum fue-

Primi Quatuorviri potestas.

Secundi potestas.

*Corruptela
Reip.*

Situs urbis.

Vini ferax.

fuerit. † Sed major boni privati, quam publici amor, æmulatio, ambitus, necessaria communium delictorum conniventia omnia turbaverant; nullæ ærarii facultates, cui & fidem ingens æs alienum detraxerat. Hinc modica armorum, minor vallorum cura, & quæ non nisi magnis sumptibus pertentantur. Hic fuit Reip. status, quem turbæ sequentes exceperunt. † Situs Urbis & Genius dubito an huius loci: sed & hunc narratæ res produunt. Hodiè ab isto longè mutatum, qui majores tantam in amplitudinem evexit. Ille hinc inde ad Geram in latissima planitie decurrit, collibus vite luxuriantibus undique suspensâ. Nec infelix vinearum cultura: Vinum sat generosum, si austeros annos, & eos excipias, quibus attracta, aut concepta in vaporibus venena, † cum tenui & rorante pluvîâ demittuntur in vitem, ac pampinis unâ cum uvis marcorem induunt; ipsâ generositate salubritas commendatior, quod nec hepar incendat, nec conficiat pulmones, imò neque renibus invehat calculos, neque articulis tartarum, seu quod istis naturæ beneficio careat, seu crassius sit, quam ut tenues meatus penetret. Illud miraberis Transalpine, quod deficientis catoris munus, frigus suppleat: scilicet solis radii ad perfectam maturitatem uvas rarò perducunt, sed emorientis æstatis calori, autumnalis pruina succedit, illa demum

Septentrio.



- 1 Beate M. Virg.
- 2 S. Severi.
- 3. Predicat.
- 4. Barfuß.
- 5. S. Barth.
- 6. S. Wipf.
- 7. S. Vitus.
- 8. Novi operis.
- 9. Sacri fontis.
- 10. S. Martin. intra.
- 11. S. Paul.
- 12. S. M. Magd.
- 13. Omnium Sanct.
- 14. S. Michael.
- 15. S. Bonifac.
- 16. S. Georg.
- 17. S. Andreas.
- 18. S. Nicol.
- 19. S. Augustin.
- 20. S. Iohann.
- 21. S. Gothard.
- 22. S. Jacob.

- 23 S. Mathew.
- 24. Mercator.
- 25. Alb. Domini.
- 26. S. Laurenz.
- 27. S. Bened.
- 28. S. E. ydi.
- 29. Martin Extra.
- 30. Carthar.
- 31. S. Thomas.
- 32. S. Gangolf.
- 33. q. Marien Knecht.
- 34. Hospitale.
- 35. Zigelhütten.
- 36. Granarium.
- 37. Collegium Sax.
- 38. Collegium Maj.
- 39. Porta Coeli.
- 40. Libr.
- 41. Curia.
- 42. Aula Magunt.
- 43. Colleg. Turis.

ERFORDIA.



dem
ptis
exco
à No
vidi
frigo
priu
bilitu
gene
revis
subst
men
fibus
est p
in p
ferti
plan
nific
gen
aute
infr
nuit
bus
gize
qui
nat
diff
(b)
tin
run

(a)
(b)

demum filiquas extenuat, & consumptis immaturis humoribus ad dulcedinem excoquit, hinc sera vindemia, & modo à Novembri hoc beneficium expectatur; vidi in Decembrem dilatam, ac induratos frigore botros, ad ignem debuisse cogi, priusquam prælo supponerentur: nec debilius inde vinum, sed in multos annos generosius asservatur. Alius (a) & Cerevisiam laudat, quod multum habeat substantiæ succique, proinde liberali alimento vires augeat; sed nec ipsi Erfurten-sibus hæctenus persuasit, neque possibile est picem potabilem conducere. † Ager in planitie extensus, cultores immodicâ fertilitate remunerat: quidquid severis, plantaveris, ibi suam glebam invenit: Anniso, glasto, Enico tinctorio, latè diffitæ gentes, & Maritimæ Regiones; culinæ autem censibus aliquot milliarium vicinia instruitur. Glasti Commertium India minuit, ex quâ succum, an herbam coloribus aptam important, magno & Thuringiæ, & tinctos pannosementium damno, quippè eadem lanificia quæ coloribus ornat, corrodit, ut priusquam attriveris, dissolvantur. Cautum Imperii legibus, (b) ne isthoc indicum laser, aut panni eo tincti importentur, ex utilitate Reip. futurum, si posthabitis externis ea consumamus,

*Agrî ferti-
litas.*

(a) Joan. Curio *Medicus*, in notis ad *Scholam Salernitanam* cap. 46.

(b) *Ordin. polit. Francos. Anno 1577. tit. 21. §. 3.*

mus, quæ natura intrâ Germaniæ limites
 posuit, sed, ut in distracto per varias ci-
 litates Imperio solet, minus observamus,
 quia lege cautum est. Sin excutiet al-
 quando India Europæ jugum, & magna-
 rum injuriarum memor omni Commercio
 arcebit, tunc pinguis Thuringiæ gleba de
 veteri beneficio sollicitabitur, & vigori
 pristino restituta majorum divitias redu-
 cet. Illa glebæ fertilitas socordes rurico-
 las efficit, in spem certorum fructuum de-
 sides, profusiores etiam in ista quæ pala-
 tum implent. Musica ibi agros incolit, ne-
 que promptius Rustici stivam, quam
 omnis generis Musicen ex ar-
 te tractant.

stivam

